

ORATIO

*Ad Inclytum REGNI POLONIÆ
Senatum,*

à

Nobil. & Ampl. Viro,

DN. IOHANNE WILMANNO,

Illustrissimi ac Celsissimi Principis, in Livo-
nia Curlandie & SemiGallie Ducis, Or-

dinario; in Aula Polona rerum Curialium:

agente; & ad Conventum Con-

vocationis Generalem

Interregni Man-

datario,

Habita

WARSAVIÆ

Die XV, Iulij,

Anno M DC XXX II.

ORATIO

ALMIGHTY GOD

E XXXIII/95

W. M. M. M.

W. M. M. M.

W. M. M. M.

**ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME
DOMINE PRIMAS.**

**Illustrissimi, Reverendissimi, Illustres Domini SENATO-
TORES** inclyti Regni Poloniae, Magniq. Du-
catus Lithuaniae, Domini gra-
tiosissimi.

**Illustrissimus & Celsissimus Princeps, & Dominus
D. FRIDERICVS,** Dei gratia, in Livonia Curlandia
& Semigalliae Dux, Dominus meus clementissimus, Re-
verendissimis & Illustrissimis Dignitatibus & Domina-
tionibus Vestris salutem, & alacrem fidelium obsequiorum
suorum promptitudinem deferens, felicissimum omnium
Consiliorum hocce in Orbitatis statu auspiciis, unà cum to-
ta Provinciâ suâ, Illustrissimis Dominationibus Vestris
officiosissimè comprecans, hisce fidei literis augustus Illu-
stritatum Vestrarum mihi non nulla nomine Illustrissimæ
Celsitudinis Suae in medium profereti, ut pateat aditus, am-
icè ab ipsdem contendit.

ILLUSTRISSIMI DOMINI SENATORES.

Quod si ipsemet Illustrissimus PRINCEPS Dominus me-
us, adesset (quæ fatalis hujus anni acerbitas abesse potius ma-
vult,) è vestigio vacantis illius loci, Throno Regio, omni-
umq. bonorum Civium oculis sacri, aspectu, rursus abortæ
Principi viro ac heroi luctum integrarent lachrymæ.

Scilicet

Scilicet in insolita Palatij hujus, semper olim Augusti, tristium tenebrarum caligine, denegat, video, fulgorem suum Sarmatiæ Thronus, multis hæctenus admirabilis, plurimis formidabilis.

Hinc attonitæ & silentes, justissimum Tribunal suum (cujus modò prospectû fidelissimorum Domini absentis servitorum tristis pulla nobis admittit) exules salutatum concurrunt sacre Leges, quæ non admissæ causam subdubiæ requirunt præforibus.

Quibus ipsimet sic dicite, Illustrissimi Domini SENATORES, Ecce, quomodo cadit flos hominis, gloria PRINCIPIS, ut vix vestigia ejus dignoveris! Dicite, Pallida Mors equo pede pulsat Pauperum tabernas,

Regumq; turrets,

turrets Regum Sarmaticas, quas invida generi humano, dira, atrox, præceps, claudo quidem pede tangit initio, mox tamen toto impetu pulsat, firmamenta subruit, bis vincit, bis in utraq; Camera trophæa ducit.

Eben insidiosum iniquæ mortis fascinum, quo demulsi suavisissimi Regum Conjuges, porrectâ quasi sibi invicem dexterâ, in ejusdem anni triste Fatum (nobis inscys) fidelissimè conjurant.

Exequitur rem dictâ Potentissima Sarmatiæ Dominatrix, Beatissima CONSTANTIA: anticipat annum fidei datæ memor gloriosissimus ejusdem MODERATOR, & fugit ut Lotb, nec post tergum respexit, nisi quòd (ad Deum vocor) tacitus quasi regerere videbatur Serenissimus & Potentissi-

rentissimus Poloniae ac Sveciae Rex, Regum Pater, SIGIS
MUNDUS III. Opt. Max. pius, justus, clemens, bene-
ficus. Quo acerbo casu illico mente suâ augurabatur
Princeps meus, Sylva scil. hieroglyphicum verè nunc cade-
re in tristem Rempublicam, nec irritò, uti apparet, prob do-
lor! mentis labore.

Illâ enim floridâ, sed repentino validissimi tonitruï fra-
gore obtusâ, omnes in ea alitum Chori consulescunt: Hâc
quidem gloriosâ, sed intempestivo Regiæ mortis fulmine cõ-
cussâ (hac præsertim temporum sorte) omnes Cives velut
in vasta solitudine lugubri silentio quasi muti torpescunt,
ad cogitationes, quid deinde futurum sit, dolore converso.

In hac tristi Reipub. obmutescentia illico erumpunt ad
æthera usq. voces querulae Ducatus Curlandiae: alij enim
interire Decus Polonorum; alij cadere Columnen Reipub:
alij viduarum, pupillarumq. præsidium deijci; alij in alia
miserationem vertebant.

Hocce miserabili strepitu recrudit demum vix sopo-
ratus adhuc ex præmatura Pientissimæ Regiæ morte cõ-
ceptus dolor Illustrissimo Principi meo, socio & præ mæro-
re nunc languido inclytæ Reipub. Vestrae membro, glorio-
sum caput suum, imò universæ communis Patriæ & dile-
ctissimum & charissimum Patrem effuse lugenti, sincerè
lugenti PATREM, qui è præclara Septentrionalium Regum
serie hic in inclyto Regno vestro (posthabito suo proprio)
HER.

HERCULES Christianus, liberâ liberae gentis voce vocatus constiterat, omnia piæ, sacræ, & Regiæ functionis munia explicuerat, acer consilio, manu strenuus, charus Principibus, cujusq; rerum heroicarum fama, ipsumq; inclytum nomen in totum propemodum Orbem, Reges ac Regna diffusum perennat, illius, inquam, fama, qui se non metiebatur ætatis spatio, sed perennitatis.

Is **REX**, Illustrissimi Domini **SENATORES** & **Ordines**, apud Illustrissimas Dominationes Vestras occupare **FATI** diem pulchrum duxit, quem Princeps meus unâ vobiscum (antequam adhuc ipsdem extremâ voce Regiâ longum dixisset **VALE**) cœu gentilitiæ illius a vis vestræ pulchri solem, ita benignum ipsius numen constanti fidelitate suspiciebat semper, venerabatur. Sanè gloriosissimi Regis amissi desiderio affligitur Princeps. Quem enim nunc communis Patriæ acturum curam? Quem alium futurum **SIGISMUNDUM**? Ridet Turca, tripudiat Moschorum Goliathus. O fallaces hominum spes, ô irrita & inania vota! Lamentabili hac meritò voce subinde quoq; exclamat ipsa Celsissima Curlandiæ **DUCESSA** gravi publicæ hujus mœstitiæ ictu saucia, in cujus animo utraq; Regiæ Majestatis voluntas non tam Cognatæ suæ, quàm filiæ longè charissimæ excitaverat affectum.

Dolet Ducissa amisso non tantum Ducalis Domus suæ, quàm totius sexus muliebris solatio, perijisse Matronarum
Decus

Decus credit, Virorum verò gloriam de jussu **DUX** rega-
rit: in utroq; mæroris certamen. Nec mirum, utpotè qui
nullum gratiæ ac benevolentia pignus atq; indicium omise-
rant, maiora ejusdem specimina brevi datum iri privatim
promittentes.

Sed non auguror, Illustrissimi Domini **SENATORES**
& Ordines, tristi hac Illustrissimi Principis mei iusti dolo-
ris commemoratione, quem certè non verborum complexus,
sed mæstus ipsius promit affectus, in victum **SARMATI**
CUMPECTVS vestrum, quorum in fortunæ injurijs ma-
gnanimo sensu superandis semper Fortitudo enituit admira-
bilis, humiliter nunc deicy, quin propinquo erigatur solatio.

Soletur Illustrissimas Dominationes Vestras glorio-
sus & gravi hoc fulmine inconcussus (custode clypeo) in
campo cæruleo Manipulus, auito Regum Septentrionalium
diademate, pansisq; gentilitiæ a vis vestræ alis inumbratus,
germinet apud vos floridissimè leta ejus segetis arista; in
qua exurget, efflorescet, reuiuiscet, quicquid in funere Regio
occubuit, concidit, euanuit.

Tum demum etiam Illustrissimus Princeps meus, quem
hic æmulus ætatis salute sua redimere non potuit, sequetur
libenter, si prius Illustrissimæ Dominationes Vestræ in hac
liberorum suffragiorum Majestate sua abundantium Con-
gregatione benignissimam Illustrissimi Domini Fratris
sui per 16 annos obedientissimè exulantis rationem habue-
ritis.

mitis: si Iunioris quoq; Principis IACOBI homagium in ipsa
felici novi Regis inauguratione praestandum, (omni tamen
abscissa ulteriori & exosa morâ) moderna Constitutione,
vigore multorum promissorum, nuperiq; Comitialis aut ben-
tici responsi, Consensus seu Attestationis firma veritis.

Si deniq; Illustrissimum PRINCIPEM, meum circa In-
vestituras, Dignitates & Iura Ducalia à Divis Poloniae
Regibus concessa non solum inviolabiliter conserva veritis,
verum etiam omnia ea, quae in diminutionem & derogatio-
nem Iurium & auctoritatis Ducalis, temporum injuria ir-
repsisse videbantur, pristino vigori restitueritis.

Hoc enim ipsum & bonus Vasallus inclytæ Reipub.
Vestrae, & omnes eiusdem in Christiano Orbe agnati & co-
gnati, qui reverâ marcescunt foedissimi hujus Consanguinei
Principis exilij aspectu, a vitæ gloriæ Poloniae, a vitæ sanè
ipsarum Illustrissimarum Dominationum Vestrarum gloriæ
acceptum ferent. Quarum perenni patrocinio, unâ cum
devotâ hac & officiosissimâ petitione sua, omniq; obsequio-
rum & gratitudinis fidelitate addictus Illustrissimus &
Celsissimus Princeps, Dominus meus, DEUM precatur,
ut jacturam obitu optimi Regis acceptam redi vivâ & an-
tiquâ gentis vestrae VIRTUTE, FELICITATE,
GLORIA, sarciat, suppleatq;

